

fortuna esset. Sine, quaeso, priusquam de condicione nostra 6
queror, noxam cuius arguimur nos purgare. Si non deum
ira nec fato, cuius lege immobilis rerum humanarum ordo
seritur, sed culpa periimus ad Cannas, cuius tandem ea culpa
fuit? militum an imperatorum? Equidem miles nihil un- 7
quam dicam de imperatore meo, cui praesertim gratias sciam
ab senatu actas quod non desperauerit de re publica, cui post
fugam Cannensem per omnes annos prorogatum imperium.
Ceteros item ex reliquiis cladis eius, quos tribunos militum 8
habuimus, honores petere et gerere et prouincias obtinere
audiuimus. An uobis uestrisque liberis ignoscitis facile, 9
patres conscripti, in haec uilia capita saeuitis? et consuli
primoribusque aliis ciuitatis fugere, cum spes alia nulla esset,
turpe non fuit, milites utique morituros in aciem misistis?
Ad Alliam prope omnis exercitus fugit; ad Furculas Caudinas 10
ne expertus quidem certamen arma tradidit hosti, ut alias
pudendas clades exercituum taceam; tamen tantum auit ab 11
eo ut ulla ignominia iis exercitibus quaereretur ut et urbs
Roma per eum exercitum qui ab Allia Veios transfugerat re-
ciperaretur, et Caudinae legiones quae sine armis redierant 12
Romam armatae remissae in Samnium eundem illum hostem
sub iugum miserint, qui hac sua ignominia laetatus fuerat.
Cannensem uero quisquam exercitum fugae aut pauoris in- 13
simulare potest, ubi plus quinquaginta milia hominum
ceciderunt, unde consul cum equitibus septuaginta fugit,